



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae
aliquot piæ, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

Haimo <Altissiodorensis>

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1551

VD16 H 222

In festo S. Laurentij

urn:nbn:de:hbz:466:1-39335

est, inter peccatum maius & minus. Hunc sensum require in euangelio in octava Paschæ.

DE SANCTO LAVRENTIO martyre. Iohan. XII.

In illo tempore Loquebantur Iesus cum discipulis suis in parabolis: Amen amen dico uobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit. Et reliqua.

Hortaturus dominus discipulos ad martyrium, suæ passionis exempli promisit, ut tanto minus pro eius nomine mortem pati timerent, quanto in hoc opere cælestis magistri imitatores existeret. Ait enim: [Amen amen dico uobis, & reli.] In quibus uerbis intelligimus, quia dominus in similitudine grani frumenti seipsum dicit mortificandum & multiplicandum: mortificandum, in infidelitate Iudæorum: multiplicandum, in fide omnium populorum. Quod non solum facilius, sed etiam apertius intelligere possumus, si superiora huius euangelij parumper attendamus. Supra enim retulit euangelista, qui prædicante domino Hierosolymis in die festo, erant quidam gentiles, qui uenerant adorare in Ierusalem: hi accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ & dixerunt ei: Domine, uolumus Iesum uidere. Venit Philippus & dixit Andreæ, Andreas rursus & Philippus dixerunt Iesu. Iesus autem respondens dixit eis: Venit hora ut clarificetur filius hominis. Ac de inde subiunxit: [Amen amen dico uobis,] & reli. Qui ergo ex gentibus se uidere desiderantibus dixit, Venit hora ut clarificetur filius hominis, ac de inde subiunxit: [Amen amen dico uobis, Nisi gra

num frumenti cadens in terram, mortuū fuerit, ipsum solū manet: si autē mortuū fuerit, multū fructum affert, ordinem suæ passionis profecto insinuauit, quia prius mortificādus erat a Iudæis, & postea prædicandus gentibus. Nā eius nomen tanto magis crescit in fide credentium, quanto per mortem in perfidia Iudæorū est extinctū. Nec indignum debet redemptore nostro uideri, si in assumpta humanitate grano frumenti comparatur, in qua etiam uilibus uermibus assimilatur, sicut ipse per Prophetā dicit: Ego sum uermis & nō

Psal. 21. homo. Et pulchre dominus grano tritici comparatur, quia sicut in omnibus annonis nihil frumento pulchrius, nihil est delectabilius: ita ipse omnes creaturas excellit, quia nihil eo suauius, nihil dulcius inuenitur. Sine certe grano frumenti comparatur, quia alimento corporis & sanguinis sui fidelium animas reficit. Ipse em̄ ait in euangelio: Ego sum panis uiuus, qui de cælo descendi. Et iterū: Panis quem ego dederō, caro mea est, pro seculi uita.

Ioh. 6.

Ibid.

Et alibi: Caro mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus. Præmissio autem mysterio suæ passionis, mox ad constantiam martyrii discipulos suos hortatur, dicens:

Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam æternam custodit eam.

Mat. 16.

Anima in scripturis, aliquando interiorem hominem (id est, uitalem spiritum) significat, aliquando præsentem uitam. Interiorem hominem, sicut dominus dicit. Quid prodest homini si totū mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum pa-

tiatur? Præsentem uitam, sicut alibi ait: Nonne ani-
 ma plus est quam esca, & corpus plus quam uesti-
 mentum? Ergo in hoc loco animæ nomine præ-
 sentem uitam designat, cū dicitur: [Qui amat ani-
 mam suam, perdet eam.] Mira autem res est, ut
 amando anima pereat: & odiendo in hoc mundo,
 in uitam æternam custodiatur. Tunc enim nostrā
 animam bene odimus, & odiendo custodimus,
 quando eius carnalibus desiderijs contradicimus,
 eius appetitum frangimus, ei⁹ passionibus relucta-
 mur, & in comparatione futuræ uitæ præsentem
 uitam pro nihilo ducimus: illud solícite considerā-
 tes, quod dominus ait: Si quis uenit ad me, & non
 odit patrem suum & matrem & uxorem, filios &
 fratres & sorores, adhuc autem & animam suam,
 nō potest esse meus discipulus. Taliter Paulus ani-
 mam suam oderat, cum dicebat: Ego autem non
 solum alligari, sed etiam mori paratus sum in Ieru-
 salem pro nomine domini nostri Iesu Christi. Nō
 enim facio animam meā preciosiorem quam me.
 Et ut hoc quod dicimus, etiam simplices intel-
 ligere possint, libet aliquos ad medium deducere,
 qui odientes animam suam amauerunt, & alios
 qui amantes, odio habuerunt. Verbi gratia, dictum
 est, quibusdam: Adorate idola, alioquin interficie-
 mini. At illi odientes animam suam, id est, præsen-
 tem uitam pro nihilo ducentes, in mortem corpo-
 ris inciderunt, sed ad uitam animæ peruenerunt.
 Dictum est etiam alijs: Adorate idola, alioquin in-
 terficiemini. Illi uero male amantes animam suam,
 id est, præsentem uitam adorauerunt, & mortem
 perpetuam inuenerunt. Taliter beatus Laurentius
 leuita, cuius hodie festiuitatem colimus, animam

Mat. 6.

Luc. 14.

Actu. 21.

suam oderat, & odiendo in uitam æternam custodiebat, quando expensis facultatibus ecclesie, propter nomē dñi nostri Iesu Christi in craticula positus, crudelissimo tyrāno dicebat: Assatum est, iam uersa & manduca, nam facultates ecclesie quas requiris, in cælestes thesauros manus pauperum deportauerunt. Cuius autem imitatores in passione sint martyres, dominus manifestat cum dicit:

Si quis mihi ministrat, me sequatur.

Sequi enim dominum, imitari est, sicut ipse ali-

Mat. 16 bi dicit: Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et

Luc. 14. iterum: Qui non baiulat crucem suam, & uenit post me, non est me dignus. Varijs enim modis fideles Christo ministrant. Alij benedicendo, ut confessores. alij pro eius nomine moriendo, ut martyres. alij iuste elemosynas tribuendo, ut fideles laici. Sed qui Christo ministrat, Christum debet sequi. Quia sicut Iohannes Apostolus ait, Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Qualē autē remuneratiōem pro tali imitatiōe recipiat, ipse declarat, cum subiungit:

4. Ioh. 2. Et ubi ego sum, ibi & minister meus erit.

Quid amplius potest promitti fideli ministro, quam ut mereatur esse cum domino suo, nec solum uidere eius humanitatem, sed etiam contemplari ipsius diuinitatem? Vnde & subditur:

Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus qui est in cælis.

Honorificabit pater ministrum filij, quoniam pro fidei ministerio uitam æternam retribuet, dicens: Euge serue bone & fidelis, & reliq. Et tunc im-

Mat. 25.

Plebitur oratio saluatoris: Pater, da ut sicut ego Ioh. 17
& tu unum sumus, ita & isti in nobis unum sint:
non equalitate naturæ, sed participatione gloriæ.
Ad quã nos adducere dignetur, q̄ cū patre & sp̄s
sancto uiuit & regnat in seculis seculorum, Amen.

LECTIO LIBRI ECCLE:

stastici, omnibus festis diebus
beatæ uirgini dicatis com-
munis, Eccle. XXIII.

Ab initio & ante secula creata sum, &
usque ad futurum seculum non desinam. Et
reliqua.

Lectiõis huius capitulum, quod ex libro Sapi-
entia sumptum cognoscitur, specialiter lau-
dem æternæ dei sapientia, per quam omnia
creata sunt, commẽdare uidetur. Sed hæc particu-
la a catholicis & eruditis patribus in solennitate p-
petuæ uirginis Mariæ, de qua eadem dei sapientia
carnem assumpsit, ad legẽdum ordinata est: & po-
test pars quædam illius non incongrue eidem dei
genitrici aptari, quæ ab ipsa dei sapientia cre-
ata est, ut per illam ad redimendam humanã na-
turam dei filius sine humana concupiscentia crea-
retur. Quid enim absurdum, quidve contrarium
est, si hoc quod ait, [In omnibus requiem quæsiui,
& in hereditate domini morabor,] dei genitrici
conuenire dicamus? ipsa quippe in omnibus re-
quiem quæsiuit, quæ ut in requie sempiterna par-
XX iij